

CHRISTOPHERVS MATHIAS CANCELLARIUS MO-  
guntinensis.



**C**hristopherus à teneris annis bonis literis operam dedit, atq; artium & linguarum fundamenta feliciter iecit. Inde sese hinc inde ad Academias contulit, & legum studio magna diligentia incubuit, ita ut omnium consensu Iuris Licentiatus crearetur. Verum is hisce contemplationibus non contentus, sed etiam praxim adiecit, atq; in principum foro sese aliquandiu magna laude exercuit. erat enim rara prudentia & singulari eloquentia præditus. Id cum prudens elector Moguntinus cognovisset, eum liberali stipendio oblato ad se uocauit, atq; suum Cancellarium (quem uocant) constituit. Eam functionem Christopherus magna animi moderatione suscepit, atq; res sibi commissas singulari dexteritate perfecit. Vt etiam id cōmodius præstaret, uitam cœlibem peregit, atq; omni mala suspicio ne uacans, honeste inter suos uixit. Est etiam Christopherus humanitate & erga omnes, præsertim literarum cultores, benevolentia conspicuus. Ita q; mihi, cum Aschenburgum uenisse, & principi opus secūdum de Viris illustribus dedicatum offerre statuisse, statim benignè adfuit, laborem approbauit, & ad principem aditū parauit, cui meus conatus erat gratissimus. Vnde optandum, ut huiusmodi literis & uirtutibus præclaris uiri passim principibus adsint, atq; eorum consilia moderentur. Anon.